



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. An Niniuitę iudices Israelitarum futuri sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

batum, & inter sabbatum & diem Dominicum. Quia tamen noctes sunt partes diei naturalis, accipiuntur eodem modo quo dies. Dies enim naturalis constat integra Solis reuolutione, lucem & tenebras complexus, itaque cum in tertium diem naturalem dicitur fuisse in corde terræ, non sunt noctes separandæ. Cui tamen ob stare videtur aperta distinctio dierum & noctium. Dies enim naturalis dicitur, qui continet dies & noctes, sed Dominus diserte illas distinguit, verum noctes ut diei appendices adiungendæ sunt. Communis hæc est interpretatio, & Augustini q. Euang. cap. 7. Sexta serie diei partem qua sepultus est cum prætærita nocte, pro nocte & die accipias, hoc est, pro toto die: sabbati noctem & diem, & noctem Dominicam cum eodem die illucescente: ac per hoc accipiendo partem pro toto habes tri-duum & tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantes, nouem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur. Et quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies factum dicit vnus Euangelista: alter vero post octo dies dicit: partem posteriorem primi diei in quo futurum hoc Dominus promittit, & partem priorem nouissimi diei in quo completum est quod promittit, pro totis atque integris diebus annumerans: ut intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui vere toti atque integri completi sunt.

VERSVS 41.

Viri Ninivite surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in predicatione Iona: & ecce plus quam Ionas hic.

QVÆSTIO I.

An Ninivite indices Israelitarum futuri sint?

*Ninivite
indices im-
penitentia.*

§.1. Iudicium comparationis est; illi enim Iona mandauerunt, miracula non facientem; hi Christus contemplerunt. Hil. in Ps. lxxv. 2. Tales erunt iudices terra: quorum comparatione fidei ac timoris impenitentes impii que condemnet. Si enim penitentia Ninivitarum ex Iona predicatione suscepta fructum adeptæ est penitendi: necesse est obediens eorum penitentia insolentem horum impenitentiam inducet. Aut regina Austri ex ultimis partibus terre desideratam Salomonis sapientiam audiens, nonne infidelitatem & incuriam presentium auditione peregrina damnabit? cum tamen inobedientia atque inaudientia iudicium differens à Salomone atque Iona Christus auctor adcumulet. Absolute autem hos esse iudices terra Apostolus demonstrat dicens: An nescitis quia sancti mundum iudicabunt, & in vobis iudicabitur mundus? quum per meritum adeptæ beatitudinis, criminisorum vitam sanctitas comparata condemnet. Eodem modo Augustin. lib. 2. de ciuitat. cap. 5. Irridebant hoc Pagani miraculum apud S. Augustinum epist. 49. & 50. ad Deo gratias. Postrema questio proposita est de Iona, nec ipsa quasi ex Porphyrio, sed tanquam ex irrisione Paganorum: sic enim posita est. Deinde quid sentire, inquit, debemus de Iona, qui dicitur in ventre ceti triduo fuisse, quod ambigendum est, & incredibile, transfuoratum, cum veste hominem, fuisse in corde piscis. Aut si figura est, hanc dignaberis pandere. Deinde quid sibi etiam illud vult, supra euomitum Iona curcubitam natam, quid cause fuit, ut hac nasceretur. Hoc enim genus questionis, nullo cachinno à Pagani grauer irrisum animaduerit. Ad hoc responsetur, quod aut omnia diuina miracula credenda non sint: aut hoc cur non credatur causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexit, non cre-

deremus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum.

§.2. Condemnandos suos Calvinianos à Ninivitis Bullingerus firmo argumento demonstrat. Transferamus hæc ad nostra tempora, & applicemus nobis Domini hæc iudicia, ut appareat quam in periculo se versetur sæculo, & quantopere nobis impendens Dei ira sit metuenda. Prædicatur nobis hodie Euangelium, offertur vita beata gratis per fidem Iesu Christi, interim nihil aliud postulatur à nobis, quam obedientia, puritas, & honestas vitæ, ut calcatis prauis affectibus recte sapiamus. Vtrum sanctam hanc & diuinam postulationem strenue nec minus contumaciter contemnimus. Iudicabimur ergo & nos à Ninivitis & regina Austri. Nihil nunc dico de persecutoribus & oppressoribus diuinæ sapientiæ, de nostris loquor qui volunt videri euangelicissimi. Vides enim agricolas nostros pessime transfigere dies diuinitus sapientiæ consecratos, sabbata. Alius mauult faciem suam deuorare, vinum potare, & rebus se oblectare vanis & noxiis, quam salutare verbi Dei tractationem audire, in cœtum venire sanctum, & supplicia vota & gratias omnipotentem cum tota offerre Ecclesie. Cuius & oppidani non minus prophani & impii sunt. Cœrant enim res suas, merces suas componunt, peregre negotiatum abeunt, vel domi occupantur rebus profanis, conciones sacras negligunt. Quod si semel iterum templa Christi ingrediuntur, domi sacris suis reclusum relinquunt animum, ipsi in cœtu sacro cœca idola amentia astant. Non perpendunt quæ ipsis dicuntur de iustitia, charitate, temperantia, de contemnendo mundo, de vera fide, penitentia & beneficentia. Quod si minister grauius contrectet vitia profanorum, auaritiam, vlturam, furta, rapinas, ob quam hic saliant molles isti mercatores, impostores & publicani. Si adulteris, scortatoribus, A pitius, & potatoribus, vitam optobret porcinam, mores plusquam spurios, & feditates plusquam diabolicas, mirum quam hic gluniant porci, latrent canes, quam impudenter & confidenter valedicant Christi euangelio. Nobiles vero & aulici isti vix homines, sed semidei: imo semiferæ, magis strapo viuentes, Deo quæ ipsi & sapientiæ eius dicam scribentes, vel indignum se profusumque putant suæ nobilitati illustrique maiestati (rectius dicerent densissimæ tenebrositati ac extrinsecus vanitati) audire conciones sacras: vel concionatori præscribunt quid & quatenus doceat, monte & accuset: ne non participes fiant illius increpationis, quæ in hæc verba apud Isaiam in 30. cap. legitur. Populus iste est rebellis, & filii nothi ac spurii, filii qui nuntiant audire legem Domini. Siquidem dicunt videntibus (episcopi siue pastores), nolite videre & virgilibus, nolite nobis prospicere recta: sed loquimini nobis blanda, videte errores. Doctuli nostri & quorum aures Ciceroniana phrasi molliores & deliciores factæ sunt, huiusquam offenduntur ad scabrum istum & parum suauitatis habentem stilum Biblicum. His admodum graue est audire agrestem, simplicem, & probum aliquem concionatorem, nihil aliud proponentem quam simplices istos & incultos Prophetam & Apostolorum eadem subinde chorda oberrantes, de fide, charitate & innocentia, eiectos potius ac extemporarios quam compositos profluentes sermones: legunt ergo poetas interim dum prædicatur verbum Domini, ne non habeant semper similes labra lætæ, lenonisque legant & audiant lenonum Patriarchas. Non de omnibus loquor poetis, neque de omnibus poetarum lectoribus, sed de nimis Ethnicis admiratoribus, verumque Christi contemptoribus. Principes vero diuinam sapientiam segniter audiunt, segnius sapientiæ studia

studia iuant atque promouent, imo opes & facultates Ecclesiæ destinatas, quasi alerentur studiosi diuinæ sapientiæ, turpiter ipsi prodigunt alea, pompa, luxu aulico, bellis, equis, bombardis & apparatu bellico parando, quasi non magis victoria speranda sit ex diuina sapientia quam ex potentia humana. Quid de Monachis dicam & sacerdotibus, qui & ipsi turpiter abutantur bonis ecclesiasticis ad oppressionem veræ, diuinæ & celestis sapientiæ: Hi omnium grauissime peccant contra Dominum. Nisi ergo tam aduersarii quam amici veritatis ac diuinæ sapientiæ ardentiori zelo & secentur sapientiam & sapientiæ studia promouant, grauissimas impietatis & ingratiuæ diuinis poenas dabunt vltro Deo, qui ab initio mundi contemptum verbi sui celestis sapientiæ semper grauissimè puniit.] Cetera non improbo; Monachos bonos, & sacerdotes Catholicos vti bonis Ecclesiæ ad veritatem propagandam non dubito. Errat tamen roto cælo Bullingerus, non enim vel nosti, vel eius sententiâ illi quos reprehendit tam seuerè, delinquent. Nosti quidem sententiâ minus delinquent, res suas curando, quam hæreses & blasphemias prædicantium audiendo. Ipse veto nos ita agere docuit. Nam adirempla, audire concionatores etiam Euangelicissimos, ex Bullingeri opinione est peccatum mortale natura sua, vti est omne opus bonum. Hoc peccatum mortale quod millies millies gehennam meretur, vt censet Beza, si reprobi sint, illis imputatur.

Sequitur, minas, & atrocia verba

Supplicium, fixo non euitabile fato.

Imox Bullingero & eius Parastatis didicere, prædicationem ad maiorem ipsorum excaecationem, poenamque Deo institutam, nec posse se vnquam conuertere. Si vero electos esse se fiduciantur. Nihil earum minarum ad se pertinere didicerunt. Quando quidem sue deuorent facrimina, vt ait Bullingerus, siue Ministri um futuras & blasphemias, nihil illis imputatur. Non enim sunt sub lege. Nec illis Deus irascitur. Malunt autem plerique *qui videri vult* frivolum veluptatis, quam fastidiosam ministri loquentiam. Cum sum sit aurium supplicium: male compositas audi nugas.

VERSUS 42.

Regina Austri surget in iudicio generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & acceptus quam Salomon hic.

QVÆSTIO I.

Quæ Regina Austri?

Reg. 10. & 2. Paralip. 9. 19. Saba alia est Arabica; alia trans Ægyptum Lybica, seu Ethiopia, quia dicitur venisse à finibus terræ, non videtur fuisse illa Arabica, quæ vicina est Iudææ.
8. 2. Quomodo iudicatura sit ostendit S. Basilii homilia in Psalm. 7. Est & alia significatio ex hac voce (iudicare) vt ait Dominus: Regina Austri exurret & condemnabit generationem hanc. Eos enim qui doctrinam diuinam auerantur quique à se amoluntur studia honesti ac virtutis & sapientiæ dogmata plena bonæ eruditionis fastidienter à se prorsus abiecerunt, eorum comparatione simul & collatione, qui in generatione suorum gentium rerum bonarum studio excelluerunt, grauiorem astruit delictos esse penam, eorum gratia quæ neglectum transierunt. Credo equid in non minus similem veluturos esse sententiam ab æquissimo illi iudici.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

ce, quotquot hoc terrestre corpus receperint: quod externi isti casus qui cuique nostrum contingunt, non paruo discrimine à se disideant: quo sit vt dissimilem quisque sententiam sit re-laturus. Qui enim concurrunt casus non à nobis quidem profecti, sed vel inuitos circumstant, aut peccata nostra degra-nant, aut leuiora efficiunt.

Vincencius putat Arabicam esse, ex Sabæa Asiatica, ad libros Regum quæstio pertinet.

VERSUS 43.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulans per loca arida querens requiem, & non inuenit.

QVÆSTIO I.

Quo pertinet comparatio hominis à demone liberati, & iterum obsessi?

§. 1. AD inane Iudæorum iactantiam retunden-
dam. Minatus erat Iudæis non modo exitiū,
sed etiam Iudices externos. Nimirum & Reginam Sa-
bæam, quos præ se illi contemnebant, fœdere Dei, &
electione suæ nationis inflati. Quia enim Dei benefi-
cis affuerat erant, illa sibi perpetua pollicebantur. Chri-
stus vero ex his ipsis demonstrat grauius eos iudicium
subituro. Quemadmodum energumens, si post-
quam Dei beneficio à demone tortore liberatus est,
sibi que redditus, si id agat, vt iterum sub eius potesta-
tem redat. ob ingrati tudinem & culpam grauius pu-
nitur. Ita quoque huic generationi erit. Deus eam
ab idolis liberauit, deinde à Pharaone, à variis peri-
culis, & tyrannis, tandem filium misit, at illi oblitū
beneficentiæ diuinæ, nouis semper sceleribus nouas
poenas accersunt. Itaque posteriora deteriora erunt;
quia nec cladibus prioribus nec beneficiis cauerent,
ne essent peiores auis. Cladem itaque quam ab Ro-
manis passuri erant, hodieque patiuntur, & æternum
exitium prædicat. Peiores vero Iudæi erant illis, qui
legem non acceperant. Dominus sane maledicentis-
sime calumniæ veram prædicationem opponit: dixe-
runt illi, In Beelzebub eiecer Christum demonia.
Respondet ille: demonem eieciū ab ea genera-
tione, aliis septem comitatum rediturum, imo iam
redisse.

Iudæi frū-
stra de ge-
nerare super-
biunt.

QVÆSTIO II.

Quæ loca arida?

§. 1. Lii fidelium, alii infidelium pectora arbitran-
tur. Græcus vocat τὸν ἐρημὸν, quod noster
vertit solet in aquosa: Dæmon expulsi horret loca solitudinis
arida, seu solitudines; quia obesse nulli potest, vbi ne-
mo est. Videtur autem similitudo sumpta ab eis, qui nixu colit:
domo pulsi. Vndique loca habitationi idonea con-
quirunt: cum vero omnibus cultis, vt quæ possessio-
res suos habent, pellantur, solitudines obeunt, si for-
te aliquam plagam fertilem inueniant.

§. 2. Cui locis aridis & solis inhæreat dæmon, quæ-
ti solet. Id ita esse, docent Sagatum confessiones,
multaque acta iudicium. Ego exitimo dæmonem fre-
quentiam, & negotiorum inter homines celebrita-
tem maxime contestari: nam sine suo periculo, maxi-
mo eorum damno inter eos versari potest. Solitudi-
nem tamen plurimis dæmonum intestati experientia
docet: sed magna Dei misericordia fieri non est du-
bium, vt impiorum spirituum potissima pars ab ho-
minum consortio arceatur, & rabiem suam inuidiam-
que in deserto consumat. Sic videmus fulmina iti

Y 2 mon-